

patur ( uti aliàs interdum post verbum Passivum & Neutrum fit ) sed semper nota Accusativi est , incautè etiam incidit Vir Beatus in illã haud tolerandam ὕπερωσι & conjungit *mortem cum impiis & sepulturam cum divite* : cum tamen Textus Jesaiæ planè contrarium habeat.

§. 14. Ex *Reformatis* (α) Zuinglius allegante D. Calovio in Bibliis illustratis ad verba : *Sepulchrum ejus dabitur cum impiis*, scribit : *Sepulchrum hic ponitur pro nece i. e. cujus supplicium vel autoritas & dignitas ejus cum prædonum fortuna finem inveniret.* At hanc contortam & intricatam atque à verbis textus alienam explicationem esse, nemo non videt. Etenim (1) *sepulchrum* in textu distinguitur à morte, nequaquam ergò mortem notare potest. (2) Vox, בַּמָּוֶת non *exaltationem* ejus, neque *crucifixionem*, multò minus *dignitatem* vel *autoritatem* significat. Et (3) פְּשִׁי nullibi in scriptura pro *prædonibus* adhibetur : ut ita omnia precaria sint, quæ hic à Zwinglio sunt allata : unde etiam nullum quod sciam, in hac explicatione asseclam invenit Zwinglius.

§. 15 (β) Calvinus Comm. in h. l. accipit hæc de Deo Patre tradente h. m. quod Pater Christum traderit in manus impiorum, & divitis vel divitum violatorum, ut per *impios & divites* idem significetur, atq; ita Pharisei & Sacerdotes, Pilatus & Romani milites notentur. *Sepulchrum* autem sumit Metaphorice, quod impii & violenti eum quasi obruerint, & inter se & sanguinarias manus sepultus censerit possit. Sed quamquam Explicatio hæc præcedente tolerabilior est,